



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

V. De modo, quo ferenda est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

23. Sufficit ne peccatum mortale ad lationem censura, in requiritur etiam contumacia? Requiritur haec, ut validè censura feratur; quia censura percutit solummodo rebelles.

24. Incurritur ne censura, quando effectus prohibitus intentus non sequitur? Minime, nisi sub censura principaliter ipsa actio & conatus prohibeatur. Addo, eum, qui actionem aliquam exercet de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura, eam non incurrit. v.g. lata est excommunicatio contra homicidas Petrus, qui Ioannem haud lethali vulnere percussit, censuram non incurrit, licet alias contingat mori vulneratum; quia sub censura prohibetur actio lethalis, non autem quælibet vulneratio.

C A P V T V.

De modo quo censura ferenda est.

25. **Q**uoniam modo sit censura ferenda? Minime incurritur antequam lata sit à iudice per signa externa, & non per solam internam voluntatem. Porro ad ferendam censuram quæcunque verba sufficiunt, modò sint ad aliquam particularem censuram determinata: vel quælibet scriptura, que iudicis sufficienter exprimat intentionem. At verba, quæ fertur censura, debent etiam determinata esse ad aliquam personam eam nominando, vel designando in ordine ad delictum. v.g. si dicatur: Clericus, qui arma gestauerit, incidat in excommunicationem; quia si nullam personam determinate assignant, nullam vulnerabunt.

26. **D**ebet ne procedere admonitio fraternalis? Debet quidem, facta auctoritate illius, qui censuram latus est; quia non potest adesse contumacia, nisi admonitio supponatur. **I**nsto, quia censura lata pro delictis futuris distinctam non requirit admonitionem. Lex tunc ipsa non ignorata sufficienter admonet delinquente.

27. **D**eclarandus est aliquis in censuram incisisse: rogo, sic reutandus prius? Ita planè; quia nemo inauditus condemnandus est.

28. **Q**uotnam admonitiones? Tres quidem aut formaliter, aut virtualiter. Porro urgente necessitate, una sufficiens. **Q**uid si quis absque necessitate constram ferat sine præmissa triplici admonitione?

G g

admonitio

466 *Moralis Theologiae Tract. IV. Censura, admonitione?* Grauiter delinquet, validè autem delinquenter flagellabit.

29. *Quoniammodo triplex hac admonitio facienda?* Inter singulas admonitiones duorum saltem dierum adsit interstium. Profectò quando censura ferenda est contra aliquam particularem personam, admonitio coram illa peragatur. Quando generaliter fertur, admonitio sufficienter loco in publico fiet. Si suspensio, vel interdictum ferendum est contra communitatem, admonitio facienda est delinquenti, cuius scilicet iniquitatem censuræ flagellum præparatur.

30. *Potest ne huiusmodi admonitio fieri non ipsi personæ?* (quando ferenda est censura in particularem) aliquo in casu. Potest planè fieri ad domum illius, vel quando reus se per dolum abscondit, vel per vim impedit, ne moneatur, vel quando semel facta est personalis admonitio, vel quando cætatio facta ad domum innotuit delinquenti, vel quando quis male absolutus est ab excommunicatione, & agitur de ipso rursus percutiendo.

31. *Est ne tempus spectandum ad censuram ferendam?* In planè. Deo enim dicato die nequit ritè ferri. At valida censura dummodo non fiat causæ cognitio, quam censura necessaria non postulat.

CAP V T VI.

De causis excusantibus à censura incurrienda.

32. *Votnam causæ ab incurso censura excusat?* Sepcet, scilicet nullitas, iniustitia, innocentia, impotensia, ignorantia, metus, & necessitas.

33. *Dissere de Nullitate.* Excusat Nullitas siue quia lex, cui censura adiungitur, nulla sit. Siue quia iurisdictio deficit. Siue quia iuridicus ordo substantialis in ea servatus non sit. Siue quia legitima deficit causa tam vera, quam presumpta.

34. *Quoniammodo excusat iniustitia?* Si censura tantum iniusta sit ex ordine iuridico accidentalí non seruato, non excusat; si ex ordine substantiali, excusat; quia etiam invalida est. Si vero sit iniusta ex defectu legitimæ causæ, si quidem eius probatio deficit, vtique excusat. Item si causa vere subfalsa, sed legitimè probata non sit. Quod si dubia sit, & iudex in fauorem unius partis censuram ferat, valida est. Si presum-